

SUMMI PRETII
MARGARITAM,
DEUM

IN CUNIS SPLENDENTEM,

Thesauri instar inæstimabilis,

SOLEMNI THEOPHANIAE FESTO,

Studiosæ in Athenæo patrio juventuti,

quin imo cunctis sacri gazophylacii

cultoribus & amasis,

mente manuque porrigit devotâ

M. HENNINGUS WITTE,

Eloq. & Histor. P. P.

RIGÆ,

Literis GEORGII MATTH. NÖLLERL

83.

LXXIII #2. 5

Coll. diss. A
237, 48

Dissert. 237 (48)

SUMMI PRETH
MAR GARITAM
DE OM
IN CURA SPENDENTEM
SOLLENI THEOPHANI R. FERSTO
M. HENNINGUS WITTE
Elop. & Hilfor. P. R.



Licent. GEORGI MATTM. NÖLLER



Mansivimus è polo in solum, atq;
hinc ad salum progrediendum. Scilicet
ante biennium Solis, lucidissimi omni-
um sideris, expendimus indolem, & ad
præcipua Cœli mysteria accommodavi-
mus. Superiori pariter annô, sub amabilissimi floris,
Rosæ, pictura, Servatoris in nos ubertim collata pen-
sitare licuit benefacta. Nunc ex roseto ad Oceanum
commigramus, ut stupenda summi Numinis opera, in
exili conchæ nucleo repræsentata, oculis credentium a-
nimisqve quodammodo exponamus. Vela proinde
dare, & cursum secundô tenere ventô pro virili tenta-
bimus, quò opes acquirere nobis à nullo unquam eri-
piendas, ac verè salutare, queamus. Margarita rubri
salutatur maris granum percandidum & pretiosum,
atqve vel ideò cum maximo illo Infante, qui, circa hoc
tempus, in cunis quondam Bethlehemiticis lusit sva-
visimè, non ineptè comparatur. Quid enim istô in
cœlo terraqve sublimius ac dignius? Quid ullibi repe-
ritur præstantius? Accedit, quod in abdito Matris, ca-
stissimæ Virginis, aliquandiu delituerit, ad eum ferè
modum, sicuti in testudine unio fundum petit ma-
rinum, ibidemqve, anteqvam extrahi potest, sat diu
densis se tegit latibulis. Et licet margarita infra pe-
lagi

lagi undas nascatur, è benigno tamen Solis calore in ac-
crescendo ita dependet, ut, Pliniò afferente, major ei
sit cœli societas, quàm maris. Hinc, nescio quis, mar-
garitæ undiqve resplendenti ac albidæ hanc adjecit epi-
graphen: AB ÆTHERE DECOR. Sacratissima Ser-
vatoris nostri Humanitas vivò hòc describitur egyptò,
quæ, in immaculato Virginis utero, velut intra argen-
team concham margarita, virtute Altissimi, sine ullo
maris influxu concepta est. Nitidò quidem corusca-
bat fulgore Mariæ Filius, humanam induens carnem,
& plus multò, quàm carus litoris Indici lapillus; sed
cùm cœlestis in eum influeret efficacia, per unionem
mysticam, unio hic prorsus singularis & incompara-
bilis suam demum obtinuit perfectionem. Mirè pro-
fectò, modoq; peculiari margaritæ, si Solino fidendum,
conceptio perficitur atqve generatio. Certò, inquit,
anni tempore, luxuriante conceptu sitiunt rorem mar-
garitæ velut maritum, cujus desiderio hiant. Et cùm
lunares maximè liqvuntur aspergines, oscitatione
quadam hauriunt humorem concupitum. Sic conci-
piunt gravidæq; fiunt, & de saginæ quantitate reddunt
habitus unionum. Vix quicquam in tota rerum natura
magis simile conceptioni apparet Dei Genitricis. Hæc
enim quoque per divinam sanctissimi Pnevmatidis ad-
umbrationem, cœlesti tanquam rore influente gravida
margari-

margaritam illam pretiosissimam, Christum, utero
concepit, inque lapsorum hominum gaudium ac
solatium luci exposuit. Sunt, qui ex aqua generari
putant omnia, formasque rerum, ad instar Pro-
tei, subinde mutari. Credimus & nos ex unda pro-
venisse, quæ humanæ in universum genti profunt
uberrimè, siquidem Margarita Animæ, DEUS ab
omni seculo benedictus, ex profundo immensæ
suæ emerfit Sapientiæ. Concha pereat necessum est,
si unio protrahendus: At Reparator orbis, cum
inter nos nascendi faceret initium, præter Peccatum
Letum & Cerberum, nil quicquam intendebat de-
struere. Virgo, quæ Eum peperit, propemodum
ut quædam apud Ebræos virga extitit. Illa, ut cum
mellifluo Doctore, Bernhardo, loquar, floruit abs-
que germine; & hæc concepit sine virili semine:
Nec virgæ virorem floris læsit emissio, nec virginis
pudorem sacri fætus editio. Præterea in margari-
tis color ac pulcritudo eximiè commendatur. Va-
na autem ejus, quanti etiam à mortalibus æstime-
tur, venustas, & fluxus gemmarum terrestrium om-
nium luxus est, si cum genuina Uranix illius Mar-
garitæ concinnitate conferatur. Margareta Valesia,
Francisci I. Regis Gallix soror, librum à se compo-
situm vulgavit, cui titulum fecit: Margarita Mar-
garita-

garitarum. Ecquid verò æquius, quàm ut Deum
in carne apparentem Margaritam nuncupemus
margaritarum, cùm in eo nobilissimarum gemma-
rùm nitor atque virtus longè latèq; emineat? Hæc
cùm è statione vitæ discessisset Heroïna, viri passim
eruditi magnificæ memoriæ ejus consecrârunt elo-
gia, quorum è numero & illud, quod heic apponi-
mus, nequaquam censebatur postremum:

*Musarum decima, & Charitum quarta, incluta Regum
& Soror & Conjux, Margaris, bicce jacet.*

Quid? si, quibusdam mutatis, de Margarita, in
præsepi Bethlehemitico olim visu conspicua, majo-
ri cum jure atque veritate, sic velimus pronunciare:

*Magna DEi Soboles, Cælorum gaudia, Regum
& Rex & Genitor, Margaris, bicce nitet.*

Unio à pluribus celebratur Cleopatrarum, cujus census
centies fuit sestertiùm, i. e. ducenta quinquaginta
aureorum millia. Parum hoc, imo nihil, quan-
do ad valorem & præstantiam illius, quem hîc com-
mendamus, proximè accedere debet unionis. An-
te Sullam usus margaritarum Romæ ignorabatur,
mox verò in urbem ab eo inductus, tantum om-
nium ibi ordinum sensit studium, ut Cæsar Dicta-
tor ritum margaritas gestandi tollere, & latâ coer-
cere lege fuerit coactus. Neutiquam id de nostra
metu-

metuendum Margarita. Utinam, vel ipsô hóc Ser-
vatoris natali, omnes, qui ubivis Christianis imbu-
ti sunt lacris, inæstimabilem hanc cœli Margaritam
non in collo solùm portarent, sed intimo penitus
pectoris imprimerent! Formari quippe inibi, ceu
suæ adhæret conchæ margarita, enixè expetit DEI
Hominumqve Seqvester, nihilq; ei accidit gratius,
quàm ut testam nanciscatur divinis obviam & exposi-
tam operationibus. Verùm enim verò acerbissi-
mis deplorandum lacrumis, quod multi nostrô quo-
que reperiantur ævô, qui gemmarum cœlestium
nullam habere satagunt notitiam, & immensi pretii
thesaurum contumaciter negligunt. Quum Caro-
lus, Burgundiæ Dux, ad Gransonium ab Helvetiis
memorabili vinceretur præliô, & quidam è militi-
bus adamantem ejus, totô orbe celeberrimum, in-
signibusq; aliquot exornatum margaritis, fortè in-
veniret, parum tamen huic imperito talium profuit.
Nam primùm in pyxidem reposuit, mox sub cur-
rum abjecit, paulò pòst reversus sustulit, & unico ven-
didit nummo aureo. Haud prudentius agunt, qui,
feriis hisce Natalitiis, carneis dediti voluptatibus,
vel rerum inanium curâ præpediti, Bethlehemum
contendere, ibidemqve Margaritam, ortu divinam,
decenti cultu suscipere cunctantur. Quid? quod
Illa ipsa nobis quoque in hac Civitate adsit, seqve fi-
de

de conspiciendam & contrectandam perbenignè exhibeat. Detestanda Romanarum aliquando erat mulierum luxuria, dum calcare margaritas, & per uniones ambulare haud verebantur, socculos insuper gerentes gemmis interstinctos micantibus. Profana mundi cohors, & quorum mentes peccandi furore sunt corruptæ, idem hodie instituunt, siquidem Margaritam Cœli humo tollere, inque pectus transferre pietatis ardore repletum neutiqvam laborant, sed, quantum possunt, hem scelus! pedibus manibusque fædissimis commaculant. Margaritarii non sine vitæ discrimine perfungi suo dicuntur labore. Cùm enim margaritæ, ceu naturæ tradunt Mystagogi, devios plerumque inter scopulos, & marinorum, qui & conchas in alto comitari amant, canum receptacula delitescant, letalem frequenter ab iis morsum reportant. Nullum verò heic expavescendum nobis est periculum. Accedite modò, devota Deo corcula, ac Margaritam, cœlesti decore illustrissimam, vestris in perpetuum dicite usibus. Hoc autem fiet certissimè, si cœtui rectè credentium associabimini, ac Tempa, piorum conchæ, iterum & sapius vos recipient. Res quippe hæc summè utilis est, & ars quædam sine scelere, & cum virtute ditescendi. Hanc qui profitebuntur, haud difficulter sentient, se spe suâ ac desiderio nequaquam excidisse. Valete, carissimi, & rem vestram feliciter agite! Dabam Rigæ d. xxiv, Dec. An. c10 10c xxcvii.

Coll. diss. A. 237, misc. 48